

## CAPVT XVII

*EX QVIBVS CAVSIS DEPEN-  
deant hæ ὑπεροχαι καὶ δυνάμεις præeminentia &  
virtutes corporum glorifica-  
torum.*

**Q**Væ diximus hæctenus non tantum creditu difficilia, sed & stupenda esse, nemo est, qui neget. Adhæret enim fidei cunctatio, in cōsensu est languor, in mente fluctuatio, vti fieri contingit homini in rebus diuinis. Vt tamen fides iuuetur, consensus firmetur, & mens tranquilla reddatur, quantū fieri potest, annitendum est. Quia in re haud parum profecerimus, si paulò altius in causarum inquisitionem, ex quibus hæ ἔξοχαι & dignitates communicantur insurgamus. Nam quandiu homo mentem & oculos habebit tantum in corporis & carnis suæ statuā inq; omnes naturæ suæ potentias & facultates fixos, haud poterit aliter fieri, quin ex admiratione in dubitationem, ex dubitatione in ignorantiam, ex ignorātia in incredulitatem tandem dilabatur.

Cui vnum videtur tantum restare remedium, videlicet vt cum Augustino serm. 158. obiiciamus illud: Considera autorem, & tolle dubitationem. Ita hic dicamus: considera causam efficientem, & Autorem tantæ beatitudinis, & facilè occures dubitationi.

De causis autem tantorum donorum, malè nos illi doce-  
P bant